

Duplici ordine procedi potest in exponendis operationibus theologis:

primo, enim, ex maxime particularibus incipit potest, ut deinde ad generaliora, denique ad generalissima procedatur; et ita primo quis exponeret operationes circa ipsum Deum, deinde operationes circa ea quae supernaturalia sunt et immediatius ad Deum referuntur, tertio denique ad remotissima accederetur quae theologiam uti sapientiam respiciunt;

deinde, autem, incipi posset ex maxime generalibus ut postea pedetentim ad particulariora procederetur; et sic inciperetur de operationibus humanis ut deinceps de operationibus humanis atque theologis diceretur.

Prior quidem ordo ideo praestare videtur quia auditor haud dubitare posset de iis tractari quae re vera ad theologiam pertineant; sin autem ex generalissimis inciperetur, ~~nam~~ maxima ei et continua essent dubia cursum esse de methodo non in genere sed theologica.

Alius autem ordo etiam sua habet emolumenta.

Nam primo non intelligitur quid sit operatio humana et theologica nisi per prius intelligatur quid sit operatio humana.

Deinde, quamvis maxime theologicae sunt operationes quae ipsum Deum respiciunt, hae tamen in theologia non immediate sed mediate Deum attingunt, nempe, mediantibus verbo Dei revelato et magisterio ecclesiae.

Tertio, ipsum verbum Dei revelatum, ipsaque ecclesia, non in vacuo quodam inveniuntur sed multis et diversis modis iisque minime extrinsecis connectuntur cum iis quae ad scientias humanas pertineant

sit enim A sensus verbi Dei et ordo corporis Christi

sit B sensus vitae humanae eiusque ordo, de quibus in scientiis humanis tunc secundum B sumus omnes peccatores (Rom 1, 18 ss., 7), sed secundum A ex B convertimur individualiter dum socialiter transformationem quandam efficimus tou B ut familia, moralitas, societas, educatio, status, ius, oeconomia, technica fiant xtiana, ut similiter artes, symbola, litteraturae, historiae, culturae fiant christianae

quae quidem habitudo non extrinseca et per accidens est; gratia enim qua elevans perficit naturam, qua sanans indigentis naturae ~~emittit~~ advenit; redemptio non solum est fundatio ecclesiae sed etiam est redemptio generis humani, cum missione prorsus universali

praeterea, tota theologia apologetica ex B incipi debet ut existentiam tou A probaret; et tota theologia speculativa nihil de A intelligit (non enim novas accipimus species supernaturales) nisi secundum analogiam tou B

Quarto, totum problema methodologicum nostri temporis, non tam ex interna quadam evolutione theologica ortum suum duxit, quam ex influxu externo ex novis scientiis philologicis, historicis, psychologicis:

quaerimus de methodo theologiae quia invaditur theologia per nova studia scripturistica, patristica, conciliaria, mediaevalia, liturgica, symbolica, quia ipsa haec invasio facilius attendit ad normas philosophicas et methodologicas sui originis, i.e., idealisticas, kantianas, naturalisticas, positivisticas, quam ad normas theologice determinatas

Quibus perspectis, videtur dicendum quod, si ad finem investigationis tamquam de re minoris momenti remitteretur consideratio scientiarum affinium, totum problema methodologicum potius negligeretur quam serio consideraretur.

Quod facile illustratur qq fundamentalibus nostri temporis: Vaticanum de fide et ratione, Aeterni Patris, Pascendi, Deus scientiarum Dominus, Divino afflante Spiritu, Humani generis, sunt documenta methodologica principalia, omniaque respiciunt qq philosophicas et qq ex novis scientiis humanis ortas.